DE PARTICULAE ΔΕ SIGNIFICATIONE AFFIRMATIVA APUD SOPHOCLEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XXVII. MENSIS JUNII MDCCCLXXIII

HORA XII

PUBLICE DEFENDET

ROBERTUS LINKE

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

A. TEUBER, CAND. PHIL.

M. BOETTGER, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM.

TYPIS BRENDELII ZIZENSIS.

Viro illustrissimo

Praeceptori summe venerabili

Gustavo Lothholzio

has litterarum primitias

pii gratique animi

monumentum esse

voluit

Auctor.

Particulae quamquam rem ipsae per se nullam fere significant, tamen si rationem atque vim earum respicimus, gravissimae sunt orationis partes. Etenim si aliis verbis adduntur modum, contextum, colorem tribuunt orationi. Quam ob causam magnopere dolendum est, quod viri docti de particulis ita inter se dissentiunt, ut multarum certa atque propria significatio vix indicari possit. Cujus rei quae sit causa facile intellegitur. Primum enim satis constat diffcillimum esse intumam naturam rationemque vocum tam exiguarum leviumque accurate enucleare. Deinde qui de particulis quibusdam accuratius egerunt, eam rationem, qua sola res tam obscurae illustrari possunt, non inierunt. Plurimi enim non tam propter linguam ipsam quam ut scriptorum lectiones constituerent, de particularum usu atque significatione quaesiverunt, neque certo fundamento, in quo omnia alia poni possent, usi sunt. Id autem fundamentum mihi quidem nulla alia re parari posse videtur nisi particularum singularum etymologia atque primaria potestate ac notione exquisita; nam e nativa et propria vi etiam usum multiplicem dilucide perspiciemus et

quaenam ratio aut qualitas singulis elocutionibus earumque membris accedat facile intellegemus. Maxime autem cum grammatici de particula δέ inter se dissentiant, operae pretium esse mihi visum est illam particulam ipsam accuratius tractare.

I.

Omnes fere grammatici docent, particulam δέ proprie habere significationem adversativam et primum quidem oppositionem aliquam deinde omnino aliquam rem diversam vel novam indicare. Hartungius, qui in linguae graecae particulis explicandis summam consumpsit operam, particulam δέ primum transitum orationis, deinde continuationem, tum oppositionem significare contendit. Sed et apud poetas et apud scriptores solutae orationis multos esse locos, in quibus particula δέ nullam illarum significationum admittat, satis constat. Jam apud Homerum versuum numerus haud exiguus est, in quibus particula δέ nullo modo notione adversativa vel conjunctiva accipi potest, ut in iis locis, in quibus particula δέ in initio apodosis posita est. Cujus generis exemplum luculentissimum praebet

Il. VII, 148.

αὐτὰρ ἐπεὶ Λυκόοργος ἐνὶ μεγάροισιν ἐγήρα,
δῶκε δ' Ἐρευθαλίωνι, φίλῳ θεράποντι, φορῆναι·

Quo in loco particulam δέ, quae est posita post protasin temporalem, non significare oppositionem aliquam omnes concedent. Simillima exempla sunt haec:

Il. I, 58.

οἱ δ'ἐπεὶ οὖν ἤγερθεν ὁμηγερέες τ'ἐγένοντο
τοῖσι δ'ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς 'Αχιλλεύς,

Il. V, 438

ἀλλ' ὅτε δὴ τὸ τέταρτον ἐπέσσυτο δαίμονι ἶσος
δεινὰ δ'ὁμοκλήσας προςέφη ἑκάεργος 'Απόλλων,

Od. XX, 56

εὖτε τὸν ὕπνος ἔμαρπτε, λύων μελεδήματα θυμοῦ
λυσιμελής, ἄλοχος δ'ἄρ' ἐπέγρετο κεδνὰ ἰδυῖα,

Od. X, 126

ὄφρ' οἱ τοὺς ὄλεκον λιμένος πολυβενθέος ἐντός,
τόφρα δ'ἐγὼν ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ.

Item post protasin hypotheticam,

Il. I. 137

εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι.

Quo in versu posterius membrum esse oppositum priori nemo negabit; neque vero hoc loco particulam δέ illi oppositioni exprimendae inservire quisquam affirmabit Satis enim oppositio illa et sententiarum nexu ipso et pronomine personali ἐγώ adjuncto est indicata, ut particula δέ ad oppositionem significandam minime sit necessaria.

Alia ejusdem modi exempla sunt:

Il. V, 260

αἴ κέν μοι πολύβουλος 'Αθήνη κῦδος ὀρέξῃ
ἀμφοτέρω κτεῖναι, σὺ δὲ τούσδε μὲν ὠκέας ἵππους
αὐτοῦ ἐρυκακέειν,

Od. XVIII, 62

ξεῖν', εἴ σ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
τοῦτον ἀλέξασθαι, τῶν δ' ἄλλων μή τιν' Ἀχαιῶν
δείδιθ' κτλ.

Eadem ratione post protasin comparativam vel relativam particula δέ sine ulla opponendi significatione invenitur, sicuti Il. VI, 146

οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

Simillimi loci sunt Od. VII, 108

ὅσσον Φαίηκες περὶ πάντων ἴδριες ἀνδρῶν
νῆα θοὴν ἐνὶ πόντῳ ἐλαυνέμεν, ὣς δὲ γυναῖκες
ἱστῷ τεχνῆσσαι·

Il. X, 418

οσσαι μὲν Τρώων πυρὸς ἐσχάραι, οἷσιν ἀνάγκη,
οἱ δ' ἐγρηγόρθασι φυλασσέμεναί τε κέλονται,

Od. XI, 148

ὅντινα μέν κε ἐᾷς νεκύων κατατεθνηώτων
αἵματος ἆσσον ἴμεν, ὁ δέ τοι νημερτὲς ἐνίψει.

Deinde saepissime apud Homerum particula δέ in appellationibus post vocativum posita est, sicuti Il. I, 282

Ἀτρείδη, σὺ δὲ παῦε τεὸν μένος· αὐτὰρ ἔγωγε

vel. Od. XVI, 130

ἄττα, σὺ δ' ἔρχεο θᾶσσον, ἐχέφρονι Πηνελοπείῃ

et alia similia. Nec vero quemadmodum iis in locis particula significatione oppositionis accipi possit intellego.

Tum in interrogationibus diversi generis, quibus particulae notionem vulgo acceptam non convenire apparet, in Homeri carminibus legitur sicuti Il. XV, 244

Ἕκτορ, υἱὲ Πριάμοιο, τίη δὲ σὺ νόσφιν ἀπ' ἄλλων
ἧσ' ὀλιγηπελέων;

Od. II, 332

τίς δ' οἶδ' εἴ κε καί αὐτὸς ἰὼν κοίλης ἐπὶ νηὸς κτλ.

Atque multi alii versus, in quibus particula δέ aliam significationem vel notionem requirit, apud Homerum inveniuntur. Ut omnibus in locis ex Homeri carminibus petitis notionis alterius, transitus vel continuationis, quam grammatici praeter illam vulgo particulae δέ attribuunt, rationem non haberem, ea re effectum est, quod omnium eorum locorum membra inter se non ut ita dicam coordinata sed potius subordinata sunt, ut omnino nullo modo de notione altera cogitari possit.

Neque vero Homerus ipse ea in re a ceteris scriptoribus discrepat. Namque Graecorum et omnes poetas et scriptores solutae orationis illa particula ita, ut nequaquam habeat significationem adversativam aut conjunctivam, usos esse nemo est qui nesciat. Ex omnibus autem scriptoribus Sophoclem, in cujus tragoediis inde a principio libentissime sum versatus, elegi et omnes eos locos, in quibus particula δέ neque adversativa est neque conjunctiva, tractare mihi proposui; atque ita quidem, ut primum quid viri docti de eo particulae usu sentiant exponam eorumque sententias refellam, deinde meam opinionem de iis locis afferam atque argumentis confirmen. Apte autem atque commode singuli loci generibus quibusdam inter se diversis attribui possunt.

Atque primo quidem generi nobilissimo inserendi sunt ii loci, in quibus particula in initio apodosis posita est. Cujus generis quattuor distingui possunt rationes: primum enim particulam δέ in apodosi post enuntiata temporalia legimus. Exempla, quae huc pertinent sunt haec: Elect. 294

πλὴν ὅταν κλύῃ τινὸς
ἥξοντ' Ὀρέστην· τηνικαῦτα δ' ἐμμανὴς
βοᾷ παραστᾶσ', κτλ.

et Oed. Tyr. 1267

ἐπεὶ δὲ γῇ
ἔκειτο τλήμων, δεινὰ δ' ἦν τἀνθένδ' ὁρᾶν.

Deinde particula δέ post enuntiata hypothetica invenitur in his locis: Oed. Tyr. 302

πόλιν μέν, εἰ καὶ μὴ βλέπεις, φρονεῖς δ' ὅμως
οἵᾳ νόσῳ σύνεστιν·

et Antig. 234

τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν,
σοί, κεἰ τὸ μεδὲν 'εξερῶ, φράσω δ' ὅμως

Tum in posteriore comparationum membro particula invenitur his in versibus: Elect. 25 sqq.

ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ᾖ γέρων
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν, ὡςαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις καὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπῃ.

Antig. 426

ὡς ὅταν κενῆς (sc. ὄρνις)
εὐνῆς νεοσσῶν ὀρφανὸν βλέψῃ λέχος,
οὕτω δὲ χαὔτη, ψιλὸν ὡς ὁρᾷ νέκυν,
γόοισιν ἐξῴμωξεν.

Antig. 501

ὡς ἐμοὶ σῶν λόγων
ἀρεστὸν οὐδέν, μηδ' ἀρεσθείη ποτέ,
οὕτω δὲ καὶ σοὶ τἄμ' ἀφανδάνοντ' ἔφυ.

Trach. 115

Πολλὰ γὰρ ὥστ' ἀκάμαντος ἢ νότου ἢ βορέα τις

κύματ' ἐν εὐρέϊ πόντῳ βάντ' ἐπιόντα τ' ἴδῃ
οὕτω δὲ τὸν Καδμογενῆ τρέφει κτλ.

Postremo non raro particula δέ post pronomina relativa ita est posita, ut pronomini demonstrativo sit addita. Elect. 441

τάσδε δυσμενεῖς χοὰς
οὐκ ἄν ποθ', ὅν γ' ἔκτεινε, τῷ δ' ἐπέστεφε.

Elect. 1095
ἃ δὲ μέγιστ' ἔβλαστε νόμιμα, τῶν δὲ φερομέναν
ἄριστα τᾷ Ζηνὸς εὐσεβείᾳ

Oed. Col. 1332
εἴ γάρ τι πιστόν ἐστιν ἐκ χρηστηρίων,
οἷς ἂν σὺ προσθῇ, τοῖς δ' ἔφασκ' εἶναι κράτος.

Trach. 23

ἀλλ' ὅστις ἦν
θακῶν ἀταρβὴς τῆς θέας, ὁ δ' ἂν λέγοι

Trach. 820

τὴν δὲ τέρψιν ἣν
τὠμῷ δίδωσι πατρὶ, τὴν δ' αὐτὴ λάβοι.

Philoct. 87
ἐγὼ μὲν οὓς ἂν τῶν λόγων ἀλγῶ κλύων,
Λαερτίου παῖ, τοὺς δὲ [1]) καὶ πράσσειν στυγῶ.

---

[1]) In iis locis, in quibus particula δέ in apodosi pronomini demonstrativo est addita, omnes interpretes ante Buttmanum particulam δέ ita exhibuerunt, ut illa cum pronomine efficiat unum verbum, i. e. particulam δέ in illis locis esse encliticam putaverunt. Primus Buttmannus de ea re in adnotationibus ad Soph. Phil. 87 accuratius atque uberius disputavit et particulam δέ in omnibus iis locis, quos ex hoc genere supra attuli, esse sejungendam a a pronomine recte demonstravit. Namque pronomina et adverbia demonstrativa, quibus encliticum δέ adhaeret, ut ὅδε, τοιόςδε, ἐνθάδε etc. prae ceteris vim habent ostensivam, ut non facile ad

Cum autem id genus, quo particula δέ in initio apodosis invenitur, sit nobilissimum et celeberrimum atque difficultates, quas illa praebere putatur, perspicue explanet, hoc statim loco virorum doctorum sententias de eo particulae usu afferre et refellere, deinde quemadmodum mihi particula in illis locis esse explicanda videatur accurate, quantum possum, exponere aptissimum arbitror.

Atque primum quidem sententiam Buttmanni, qui in excursu XII ad Demosth. orat. in Mid. uberius de particula δέ disseruit, afferam. Buttmannus igitur, qui, sicuti omnes fere alii, particulae δέ primariam et propriam notionem esse adversativam supponit, usum particulae in apodosi alienum quodammodo e responsione particularum μέν et δέ, ut breviter dicam, esse deducendum contendit. Quoties enim duae propositiones essent in aliqua relatione, eam in simplici orationis conectendae forma indicari pronominibus tantum et ad-

---

relativa ὅς, οἷος etc. referantur; pronomine enim relativo jam praemisso minorem vim inesse demonstrativo satis constat. Huc accedit, quod, si ὁ δέ scribitur, sermo non solum corrigitur, sed magis poeticus redditur. Eam quaestionem jam antiquissimi grammatici attigerunt; nam Scholia Veneta ad Il. X, 489

ἀτὰρ πολύμητις Ὀδυσσεὺς
ὅντινα Τυδείδης ἄορι πλήξειε παραστάς,
τὸν δ'Οδυσσεὺς μετόπισθε λαβὼν πόδας —

exhibent: ὅτι ὁ δέ συνδεσμὸς περιττός; quibus ex verbis grammaticos τὸν δέ scripsisse intellegitur. Eadem ratione in Hesiodi Op. 395 et in Il. VI, 146 particulam δέ esse sejungendam a pronomine apparet. Quodsi formae ὅδε illo sensu nullus apud scriptores Atticos usus est, Sophoclem istas formas more epico posuisse omnes concedant necesse est; ut si de scriptura ὁ δέ in Sophocleis locis dubites, etiam in illis sit dubitandum. Jam cum scriptores solutae orationis in ejus modi apodosi numquam ὅδε pro οὗτος usurpasse constet, poetae ubi ΟΔΕ apud eos legitur ὁ δέ h. e. οὗτος δέ pronuntiasse videntur.

verbiis, quibus particulae quaedam copulativae vel continuativae vel etiam adversativae adjungerentur. Itaque e. g. sententiam versuum Od. X, 125 et 126, si vocem τόφρα bis sensu demonstrativo acciperemus, ita fere enuntiari potuisse: τόφρα μέν οἱ τοὺς ὄλεκον λιμένος πολυβενθέος ἐντός, τόφρα δὲ ἐγὼ πείσματα ἔκοψα. In hujus autem formae locum successisse mox aliam, qua illae voces demonstrativae et jam per se ipsas et per aliquam differentiam, quae inter elementa earum esset, (οἵ — τοί; ὄφρα — τόφρα) relationem illarum propositionum duarum indicarent, ut exemplum, quod proposui, ita legeretur: ὄφρα οἱ τοὺς ὄλεκον τόφρα ἐγώ πείσματα ἔκοψα. In qua orationis forma sermonem illis particulis μέν et δέ carere potuisse. Sed cum linguae nonnisi sensim paullatimque artificiosam hanc conectendi rationem adoptarent, factum esse, ut non statim neque umquam omnino illas particulas μέν et δέ omitterent sed eas per pleonasmum, qui nobis hodie anacoluthiae speciem afferret, interdum insererent. Incipere enim orationem per ὄφρα, qua voce relatio annuntietur, deinde sequi particulas μέν et δέ, vel δέ solum, quae particulae cum aliqua diversitatis notione copulent. Itaque nunc illum locum ita legi:

ὄφρ' οἱ τοὺς ὄλεκον λιμένος πολυβενθέος ἐντὸς
τόφρα δ'ἐγὼν ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ
τῷ ἀπὸ πείσματ' ἔκοψα νεὸς κυανοπρώροιο

Eadem ratione qua δέ etiam particulam τέ in sermone epico pleonastice se applicare vocibus relativis, cum ante illam relationis propriam formam haec ipsa copula esset loco formae relativae. Ceterum quae in forma ὄφρα demonstravit, eadem simili aliquo modo in ceteris quoque et pronominibus et adverbiis et con-

junctionibus relativis accidisse contendit. Neque vero, sive adsit sive desit particula δέ, quidquam sensus discriminis apparere affirmat, ita ut plerumque ob metricas rationes solas illa nunc ponatur nunc omittatur.

Quam Buttmanni explicationem, quamquam est maxime ingeniosa, tamen esse nimis exquisitam atque artificiosam quisque concedat necesse est. Etenim si relatio duarum propositionum prius per particulas μέν et δέ indicabatur atque sensim hujus dicendi rationis loco illa relatio per adverbia demonstrativa ipsa, postquam differentia quaedam inter elementa eorum intercessit, significabatur, scriptores eorum temporum, quibus lingua erat satis exculta atque perfecta, quoties quidem recentiore et meliore exprimendi ratione utebantur, vestigia illius vitaturi fuisse putandi sunt. Neque enim causa, cur aliquid mutetur, si id, cujus loco melius quiddam est positum, retinetur, intellegitur. Neque vero omnino credi potest, sensus discrimen apparere nullum sive scriptores particulam δέ apposuerunt sive omiserunt. Deinde Buttmannus vehementer mihi videtur errare, quod explicationem suam eo, quod saepissime etiam particula τε relativis vocibus sit adjuncta, confirmari putat. Particulam τε enim ex eadem stirpe qua pronomen indefinitum τις esse ortam ideoque proprie „aliqua ratione“ significare satis constat. Quare ea particula aptissime adverbiis vel adjectivis relativis, sicuti ὥστε, ὅστε, οἷόστε et quae sunt similia, adjungitur neque aliud significat nisi „cunque“, quod suffixum eadem ratione in lingua latina vocibus relativis additur.

Jam vero Hermanni, qui de particula δέ in apodosi posita in adnott. ad Soph. Philoctet. 87 disseruit, explicationem videamus. Hermannus enim, qui Buttmanni

sententiam esse „valde quaesitam" dicit, in omnibus illis locis particulam δέ habere significationem adversativam atque ad suppressam aliquam partem sententiae esse referendam contendit. Quae sententia qualis sit, non posse dubium esse, praesertim cum opposita esse debeat ei, in qua sit posita particula δέ. Itaque e. g. Philoct. 87 plene dicendum esse:

οὓς ἂν τῶν λόγων ἀλγῶ κλύων, ἄλλους μὲν ού, τούτους δὲ καὶ πράσσειν στυγῶ

Eam autem Hermanni interpretandi rationem esse impeditam atque nimis longe repetitam non infitiandum est. Scriptores enim graecos in talibus locis verba quaedam ut ἄλλος μὲν οὔ vel similia, ad quae esset referenda particula δέ, semper mente intellexisse vix quisquam putarit.

Sed jam transeamus ad explicationem Hartungii, qui in libro de particularum linguae graecae doctrina scripto de particula δέ uberius disputavit. Is primus particulae δέ vim ac notionem primariam etymologica ratione enucleare conatur atque particulam illam ex adverbio δίς esse deducendam putat, ut proprie nihil nisi „iterum" vel quod nos dicimus *„im zweiten Male, zweitens"* et deinde *„hinwiederum, hernach"* significet. Usum autem particulae δέ duplicem esse censet, corresponsivum et conjunctivum.

Itaque si notione conjunctiva ponatur, duas propositiones aut conjungi aut inter se opponi. Particulam autem corresponsivam vernacula lingua vertendam esse *„auch"* neque aliter a conjunctiva differre atque particulam οὐδέ vel μηδέ; quas voces modo significare *„auch nicht"* modo *„und nicht, aber nicht"*. Ad quem ipsum usum particulam δέ quoque in apodosi positam esse re-

ferendam atque plane cum adverbio εἶτα congruere arbitratur.

Magnopere sane Hartungius laudandus est, quod etymologia vim particulae δέ nativam indagare studuit; ea enim sola mihi videtur esse via atque ratio, qua vocularum tam incertarum intima natura perspici possit. Neque tamen illi in ea re assentiri possum, quod particulam δέ ex adverbio δίς esse derivandam putat. Primum enim tantum abest, ut particula δέ, si ex adverbis δίς, quod proprie „bis" significat, sit orta, duae propositiones ad unam quodammodo conjungi vel coalescere possint, ut una eademque propositio tamquam bis posita indicetur. Deinde autem qua ratione e notione simplicis conectendae formae oriri possit vis adversativa tam vulgaris, nemo est qui perspiciat. Sed jam explicationem particula δέ in apodosi positae esse rejiciendam quisque primo aspectu intelleget, si modo exempla, in quibus δέ post enuntiata temporalia et hypothetica invenitur, respicit. Quid enim in omnibus illis locis sibi velit particula δέ notione nostri „*auch*" nullo modo apparet.

Jam vero Klotzius, in adnotationibus quas libro a Devario de linguae graecae particulis scripto addidit, accuratissime atque uberrime de particula δέ disseruit. Qui particulam δέ formam correptiorem esse particulae δή atque hanc ob causam nihil aliud proprie significare nisi „aliquam rei dudum cognitae adseverationem" contendit. Facile autem ex adseveratione notionem opponendi, quae vulgo particulae δέ tribuatur, enasci probat. Attamen ob id ipsum, quod particula δέ proprie sit particula affirmativa, illam non continere oppositionem nisi talem, quae posita aliqua re jam de nova re adseveret

illamque priorem non amplius respiciat; ut particula δέ duas propositiones, quae est Hartungii sententia, non simpliciter inter se conjungat sed nos abducat ab ea re, quae proposita sit, transferatque ad id quod missa priore re jam pro vero ponendum esse videatur.

Neque vero umquam adseverandi vim particulae δέ attribuit sine ulla oppositione, sed omnibus in locis particula δέ verba sequentia opponi cum adseveratione quadam antecedentibus existimat. Eadem ratione particulae δέ in apodosi positae adscribit significationem adversativam vel oppositivam. Cum enim res aut per se satis facilis esset ad intellegendum aut scriptor in priore membro enuntiati non accurate cogitaret de ea quam vellet efficere oppositione, vel denique oratio, praesertim in carmine, magis impediri videretur, si statim ab initio disjunctio sententiarum indicaretur, factum esse, ut prius membrum sine ulla particula, quae quid sequeretur indicaret, poneretur et in altero demum membro oppositionis ratio enasceretur. Itaque in omnibus illis locis particulam δέ, cum ad alterum membrum oratio pervenisset, inferri per anacoluthiam quandam, quod genus dissolutae quasi orationis Graeci oppositionis amantissimi committere soliti essent.

Quamvis Klotzio particulam δέ esse cognatam cum forma ampliore δή ideoque proprie adseverationis cujusdam notionem vel vim affirmativam in se continere dicenti omni ex parte assentiar, tamen in omnibus illis locis, in quibus particula δέ in apodosi invenitur, simul inesse oppositionem aliquam concedere nullo modo possum. Etenim si eos locos, in quibus particula δέ legitur post propositiones comparativas consideramus, ut Elect. 25 sqq.

ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ᾖ γέρων,
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν, ὡςαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις καὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπει.

ejusmodi locis ne minimam quidem inesse oppositionem sed potius, ut ita dicam, exaequationem concedamus necesse est. Neque vero aliter in ceteris locis res sese habet.

Denique paucis de sententia Kuehneri, quippe qui in quaestionibus grammaticis maximam sane habeat auctoritatem, disseram. Kuehnerus igitur, qui quae sit ratio etymologica particulae δέ incertum esse existimat, primariam ejus vim esse adversativam ponit. Particulae autem in apodosi positae tribuit significationem duplicem et oppositivam et conjunctivam. Quarum notionum oppositivam inesse vult particulae δέ in iis locis, in quibus post enuntiata hypothetica et comparativa vel relativa inveniatur. Ad eam autem explicationem confirmandam exempla nonnulla affert; ex quibus unum mihi expromere liceat, quo ejus sententiam esse rejiciendam demonstrem, Hom. Il. XXIII, 319 sqq.

ἀλλ' ὃς μὲν θ' ἵπποισι καὶ ἅρμασιν οἷσι πεποιθὼς
ἀφραδέως ἐπὶ πολλὸν ἑλίσσεται ἔνθα καὶ ἔνθα
ἵπποι δὲ (sc τούτῳ) πλανόωνται ἀνὰ δρόμον κτἑ

In hoc igitur loco tantum abest, ut particula δέ oppositio quaedam significetur, ut indicetur, ut ita dicam, compositio; idque Kuehnerus ipse concedit, cum posterius loci membrum vertat: „*dem irren auch*“. Namque per nostrum „*auch*“ oppositionem exprimi non posse satis apparet. Significationem autem conjunctivam refert ad enuntiata temporalia atque hoc in usu explicationem a Buttmanno propositam plane recepit. Qua de inter-

pretatione quid sentiam jam dixi eo loco, quo de Buttmanni sententia judicavi. — At jam quispiam quaesiverit, cur eorum, quae Schaeferus et Werferus de particula δέ in apodosi posita disputaverunt, nullam fecerim mentionem. Schaeferus, quihanc quaestionem in meletem. crit. ad Dionys. Halicarn. attigit, scriptores illa particula sine ulla vi πλεοναστικῶς usos esse arbitratur; ea explicatio mihi non digna videtur esse, quae commemoretur.

Werferum, qui eam rem ab omni parte aggressus est in observ. ad Herodotum (Act. Monac. I, p. 88 sqq.) hanc ob causam omisi, quod Buttmannus explicationem ejus plane secutus est pluribusque illustravit.

Itaque explicationes atque sententias eorum, qui prae ceteris in particulae δέ natura exquirenda operam consumpserunt — omnium enim grammaticorum interpretationes enumerare, praesertim cum plerique cum iis, quos commemoravi, plane consentiant, longum est — esse rejiciendas iis, quae adhuc attuli, ostendisse mihi videor. Quam ob causam jam aptissimum est, id quod ego quidem de ea re sentio afferre atque argumentis confirmare. — Atque primum quidem, quod jam supra indicavi, si vim particulae nativam ac primariam investigare volumus, necessarium mihi videtur esse etymologiam illius, quantum fieri potest, indagare atque illustrare. Omnibus autem in ejusmodi enuntiatis, in quibus particula δέ in initio apodosis posita est, particulam δή, si tantummodo aliqua ex parte ad eam rem animum advertimus, eadem ratione eodemque nexu esse positam

statim inveniemus. Illarum rationum diversarum, quas supra distinxi, singula afferam exempla:

Xenoph. discipl. Cyri VII, 2, § 4

Ὡς δὲ ἐγένετο τοῦτο δῆλον, ὅτι εἴχετο τὰ ἄκρα, πάντες δὴ ἔφευγον οἱ Λυδοὶ ἀπὸ τῶν τειχῶν· (post enuntiat. temp.)

Soph. Trach. 746

εἰ χρὴ μαθεῖν σε, πάντα δὴ φωνεῖν χρεών: (post enuntiat. hypoth.)

Xenoph. exped. Cyr. I, 10, § 8

Ὡς δὲ ᾔσθοντο οἱ μὲν Ἕλληνες ὅτι βασιλεὺς σὺν τῷ στρατεύματι ἐν τοῖς σκευοφόροις εἴη, βασιλεὺς δ' αὖ ἤκουσε Τισσαφέρνους ὅτι οἱ Ἕλληνες νικῷεν τὸ καθ' ἑαυτοὺς καὶ εἰς τὸ πρόσθεν οἴχοιντο διώκοντες, ἐνταῦθα δὴ βασιλεὺς μὲν ἀθροίζει τοὺς ἑαυτοῦ καὶ συντάττεται κτέ (post particul. demonstr.)

Neque vero solum in ejusmodi enuntiatis sed etiam in omnibus iis dicendi rationibus, quas infra tractabo, particulam δή eodem modo quo particulam δέ esse positam idoneis exemplis illustrari potest. Huc accedit, quod illae duae particulae, si quas contineant litteras respicimus, inter se sunt simillimae. Quae cum ita sint, fieri non potest, quin moveamur, ut particulam δέ ad particulam δή referamus. Et optimo quidem jure. Neque enim dubitari potest, quin particula δέ cum ampliore forma δή sic sit cognata, ut particularum μέν et μήν quoque formae correptione et productione diversae communem habent originem. Qua de causa primum mihi propria notio particulae δή exquirenda videtur esse; deinde autem ex hac particulae δή significatione vim particulae δέ nativam constituam et qua ratione ceterae notiones ex illa oriantur ostendam. Sed priusquam ad rem ipsam accedam, pauca de Hartungii par-

ticulae δή explicatione dicam. Hartungius enim particulam δὴ esse cognatam cum stirpibus dj ŭ vel d j ŏ (caelum) et dĭw vel dīwa (dies) atque ea de causa idem quod „jam" valere doctrin. particul. vol. I p. 223 affirmat. Eam autem significationem quemadmodum particula δή illa ratione etymologica accipere possit nullo modo intellegitur. Rectissime enim Curtius elem. etymol. p. 561 dicit: ***Von der Bedeutung „Tag" gelangt man nur dann zu dem Begriffe „schon", wenn man δή als eine Verstümmelung von ἤδη auffasst und ihm so zu der Bedeutung „an diesem Tage, zu dieser Stunde" verhilft. Diese Annahme ist aber im höchsten Grade willkührlich, da vielmehr das zusammengesetzte ἤδη erst allmählig an die Stelle des einfachen δή tritt.*** Quae sententia eo confirmatur, quod quaecumque vocabula ab ἤδη originem ducere putantur, sicuti δήν, δηναιός, δηρός similia ea littera carent; neque desunt exempla quae illud η praefigi solere doceant, ut ἠβαιός ex βαιός, ἠθεῖος ex θεῖος[2]), ἠπανία ex σπανία sunt facta. Si quem accentus mutatio in vocabulo ἤδη offendat, scito non solum a cognata vocula θήν illum auferri, sed etiam νῦν δή ut docuit Lobeckius ad Phryn. p. 19, uno accentu a veteribus grammaticis scriptum esse. Quibus ex causis particulam δή cum illis stirpibus, quas supra commemoravi, non esse cognatam satis apparet.

Ego vero, ut Curtio videtur, particulam δὴ esse ortam e djâ, djâ autem ex jâ contendo. Litteram δ enim multis in verborum derivationibus esse, ut ita dicam,

---

[2]) Etymol. Magn. in v. θεῖος: πλεονάζει γὰρ τὸ η̃ ἐν πολλαῖς λέξεσιν, ὡς τὸ μύει — ἠμύει, βαιός — ἠβαιός, εὐγενής — εὐηγενής.

accessoriam Curtius[3]) et Kuhnius[4]) evidenter demonstraverunt. Ea igitur ratione ex jâ ortum est djâ; e djâ autem littera j oppressa factum esse δή facile intellegitur. Jam vero postquam particulam δή ortam esse e stirpe jâ demonstratum est, quaeritur quidnam illa stirps significet. Jâ est stirps pronominalis, quae vim vel notionem continet demonstrativam ac praecipue aliquam rem notam proponit, sicuti e particulis affirmativis linguae goticae ja, jai, e nostro *ja*, pronomine derivato jain-s satis constat; quo fit, ut particula δή ea, quae ante oculos posita vel in conspectu sunt, indicet. Quodsi particula δέ ex ampliore δή est correpta, vim primariam ipsius particulae δέ esse demonstrativam vel affirmativam demonstrasse mihi videor. — Eam autem notionem particulae nativam si tenemus in singulis locis, in quibus particula δέ apodosin introducit, explicandis vix quidquam obscurum erit. Quod ut omni ex parte intellegatur, nonnulla eius usus exempla videamus:

Oed. Tyr. 1267

ἐπεὶ δὲ γῇ
ἔκειτο τλήμων, δεινὰ δ' ἦν τἀνθένδ' ὁρᾶν.

Quo in loco si ea, quae antecedunt, respicimus, ne minimam quidem esse oppositionem sed potius verbum δεινά particula δέ addita gravius affirmari vel asseverari omnes concedant necesse est.

Oed. Tyr. 302

πόλιν μέν, εἰ καὶ μὴ βλέπεις, φρονεῖς δ' ὅμως
οἵᾳ νόσῳ σύνεστιν·

---

[3]) Curtius de nomin. form. p. 6 sqq.

[4]) Kuhn, Jahrbücher f. wissensch. Kritik 1843 S. 31.

Quamquam his verbis inesse oppositionem levem non nego, tamen eam oppositionem non tam particula δέ quam sententiarum nexu ipso indicari contendo; particula δέ autem ea ipsa, quae sunt in apodosi, vi graviori effert atque affirmat, neque interest, utrum ea antecedentibus verbis opposita sint annon. Ejusdem generis exemplum praebet Antig. 234

τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν,
σοί, κεἰ τὸ μηδὲν 'ξερῶ, φράσω δ' ὅμως[5])

---

[5]) Hujus loci cum in verborum constructione artificiosa quadam tum in particula δέ interpretes atque editores offendisse mihi videntur. Hermannus pronomen σοί ad verba antecedentia referendum esse ratus cum infinitivo μολεῖν conjungit, ut verbum veniendi sit constructum cum dativo. Quod autem hoc in versu adverbium loci δεῦρο, quo posito pronomen σοί supervacaneum videtur esse, jam sit dictum, copiosa custodis oratione excusari posse putat et illa verba vertit ita: „postremo vicit, ut huc irem, ad te", quamquam diligentiam nimis accuratam, quae verbis δεῦρο et σοί efficitur, custodis verbosa exprimendi ratione excusari concedo, tamen verba veniendi ut μολεῖν cum dativo construi posse prorsus nego. Huc accedit, quod pronomen σοί, praesertim cum in initio versus sequentis sit positum, ad verba antecedentia esse referendum vix credi potest. Neque enim Oed. Tyr. 546, in cujus initio pronomen σοῦ vi gravissima est positum, cum nostro loco comparari potest. — Sed dativum σοί et cum ἐξερῶ et cum φράσω esse conjungendum atque hanc ob causam ante illa duo membra esse positum satis apparere arbitror. Neque mirum est, quod particula conjunctiva καί (κεἰ = καὶ εἰ) non in initio enuntiati sed post σοί est posita; nam id fieri posse et saepe factum esse notum est (e. g. tempora mutantur nos et mutamur in illis). — Deinde ut verborum constructio redderetur facilior et particula δέ ejiceretur alii aliam proposuerunt mutationem: Bergkius pro φράσω δ' ὅμως conjecit φρασόνθ' ὅμως. Goettlingus totum versum ejiciendum esse contendit. Nauckius, qui in edit. III. hujus fabulae Hermanni explicationem probavit, in editionibus novissimis versum quasi corruptum uncis circumdedit. At librorum lectio non est sollicitanda. Particula δὲ enim est posita significatione affirmativa ut verbum φράσω graviore vi efferat.

Luculentissime autem significatio particulae primaria, quam proposui, exstat in his exemplis:

Electr. 27—30

ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ᾖ γέρων
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν, ὡσαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις καὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπῃ.

„wie ein edles Ross — — — so eben auch du“

et Philoct. v. 86—87

ἐγὼ μὲν οὓς ἂν τῶν λόγων ἀλγῶ κλύων,
Λαερτίου παῖ, τοὺς δὲ καὶ πράσσειν στυγῶ.

„welche Worte ich — — — die fürwahr auch“.

In iis enim locis oppositionem aliquam inesse vix quisquam affirmaverit. Neque huc est referendus versus Oed. Col. 813

ὡς δὴ σὺ βραχέα, ταῦτα δ' ἐν καιρῷ λέγεις[6]).

Sed si quis quaesiverit, quonam discrimine scriptores illa particula δέ in apodosi usi sint, certo constat, illam post enuntiata hypothetica atque relativa omnes Grae-

---

[6]) Eo in versu particula δὲ viris doctis maximam praebuit difficultatem, ut Brunckius ex Toupii conjectura poneret ὡς δὴ σὺ βραχέα ταῦτα, κἂν καιρῷ λέγεις, Reisigius ὡς δὴ σὺ βσαχέα τ', αὐτὰ δ' ἐν καιρῷ λέγεις, Bothius δ' in τ' mutaret. Hi omnes in particula δέ eam ob causam offendisse mihi videntur, quod putaverunt illum versum hoc fere modo esse dictum: ὡς δὴ σὺ βραχέα, ὡσαύτως δέ — — vel ἃ δὴ σὺ βραχέα, ταῦτα δ' — — ut δέ sit positum in apodosi. Nec vero is particulae usus ad hunc versum adhiberi potest. Hoc enim loco particula δέ est accipienda significatione adversativa. „Nam cum“ ut Hermanni verbis utor „Creon Oedipo dixisset, aliud esse multa loqui, aliud apta, quo significat non se multa, sed apta dicere, coniungit illa Oedipus neutrumque ab illo fieri ait.“ Itaque Hermannus illum versum recte vertit: Quasi vero tu pauca, illa pauca autem apte dicas. De particulae δὴ usu ironico v. Matth. § 603.

corum poetas et solutae orationis scriptores saepissime posuisse. Post enuntiata autem temporalia ab Atticis quidem scriptoribus particulam δέ in apodosi vix umquam usurpatam esse Hartungius non recte contendit. Neque enim veri simile est, solos Atticos, cum ceteri Graeci omnes ita loquerentur, ista dicendi ratione abstinuisse; et idoneis exemplis facile comprobari potest, Atticos quoque scriptores non semel aut iterum, sed saepius post ἐπεί particulam δέ in apodosin intulisse. Exempla ejusmodi sunt Xenoph. exped. Cyr. I, 3, § 5 et IV, 1, § 2. Nec minus huc testis advocandus est Sophocles, qui in dialogo quidem merum Atticorum sermonem eumque emendatissimum repraesentat,

Oed. Tyr. 1266

ἐπεὶ δὲ γῇ
ἔκειτο τλήμων, δεινὰ δ' ἦν τἀνθένδ' ὁρᾶν.

Homero autem atque Herodoto prae ceteris eum particulae usum esse tritissimum certe concedendum est —

Sed jam, priusquam ad cetera genera, in quibus particulae δέ significatio non est adversativa sed affirmativa, aggrediar, hunc locum existimo esse maxime idoneum, quo quae sint ceterae particulae significationes quaque ratione eae ex illa primaria notione sint profectae ostendam. Atque primum quidem vis particulae affirmativa, quae aliquam rem confirmat atque cum vi effert, adhibita est ad oppositionem aliquam confirmandam atque adseverandam. Quo factum est, ut particula δέ, quod proprie erat adverbium demonstrativum vel affirmativum, transiret in notionem particulae adversativae. Deinde autem, postquam accepit vim adversativam, aptissime posita est, ut diversas vel alias vel novas res inter se conjungeret eoque modo particula transitus et

continuationis facta est. Quem usum Homeri prae omnibus aliis proprium esse una et consentiens vox est. —

Jam restat, ut in hac dissertationis parte usum particulae δέ post participium, quippe qui aliqua ex parte cum ea dicendi ratione qua particula in apodosi posita est, sit cognatus paucis commemorem. Nam in eo quoque usu particulam δέ propria significatione affirmativa esse usurpatam contendo. Cujusmodi exemplum legimus

Xenoph. Mem. III, 7, § 8

Θαυμάζω σου, εἰ ἐκείνους ῥαδίως χειρούμενος τούτοις δὲ μηδένα τρόπον οἴει δυνήσεσθαι προσενεχθῆναι.

Sed cum simile exemplum apud Sophoclem invenerim nullum, plura verba de ea re facere non opus esse arbitror.

II.

In altera hujus dissertatiunculae parte omnia cetera genera, in quibus particula δέ notione affirmativa, ut mihi videtur, in Sophoclis tragoediis est accipienda, diligentius atque uberius tractare conabor.

Atque primum quidem de usu particulae δέ in interrogationibus verba faciam. Saepenumero enim particula δέ in interrogationibus ita est posita, ut de nulla omnino oppositione possit cogitari. Buttmannus in excursu ad Demosthenis orationem Midianam, quem supra dixi, ejus usus particulae mentionem fecit nullam. Hermannus autem in adnotationibus ad Vigerum in interrogationibus particulam δέ poni solere dicit praegressis verbis, quibus hujus particulae usurpandae necessitas tolli videatur; atque adeo in compluribus Sophoclis versibus eam particulam ut a sententiarum nexu alienissimam ejecit. Hartungius denique in interrogatione quoque sicuti aliis in locis particulam δέ contendit indicare transitum et continuationem orationis, atque quoties duae vel plures personae inter se loquantur, ita tantum usurpari, ut alter interpellet alterum optetque interrogatione ut iis quae jam ab altero sint dicta aliud quiddam addatur. Neque quidquam intercedere discriminis, utrum

qui loquantur inter se consentiant an dissentiant. Eam Hartungii sententiam esse falsam exemplum, quod Oed. Col. 1132 legimus, evidenter demonstrat:

καί μοι χέρ', ὦναξ, δεξιὰν ὄρεξον ὡς
ψαύσω φιλήσω τ', εἰ θέμις, τὸ σὸν κάρα.
καίτοι τί φωνῶ; πῶς δ'[7])ἂν ἄθλιος γεγὼς
θιγεῖν θελήσαιμ' ἀνδρός κτέ.

In iis enim versibus neque alter interpellat alterum neque posterior pars versus cum priore simpliciter conectitur. Sed ne iis quidem locis, in quibus alter alterius orationem interrumpit, particula δέ servit orationi simpliciter continuandae. Etenim si accuratius consideramus Ajac. v. 797

Ἄγγελος.

ἐκεῖνον εἴργειν Τεῦκρος ἐξεφίεται
σκηνῆς ὕπαυλον μηδ' ἀφιέναι μόνον.

Τεκμήσσα.

Ποῦ δ' ἐστὶ Τεῦκρος, κἀπὶ τῷ λέγει τάδε;

sermonem esse vehementiorem atque commotiorem, quam qui per simplicem copulam δέ cum verbis antecedentibus conjungi aut, ut Hartungius vult, lingua vernacula *„und wo ist Teukrus?"* transverti possit concedamus necesse est.

---

[7]) Iis in verbis interpretes non offendisse Hermannus miratur. Verba enim πῶς ἂν ἄθλιος cum sine copula cum verbis antecedentibus καίτοι τί φωνῶ; ut Aeschyl. Prometh. v. 101 conjungi debere putaret, particulam δέ mutavit in pronomen σέ. Dindorfius hac Hermanni offensione, ut videtur, motus pro πῶς δ' ἂν ἄθλιος γεγώς scripsit πῶς ἂν ἁγνὸν ὄντα σέ; quam mutationem Wunderus atque Nauckius receperunt. Neque tamen ulla opus est mutatione. Hoc enim in loco particula δέ in interrogatione rectissime est posita, ut adverbio interrogativo vim tribuat graviorem: *„Doch was spreche ich? Wie sollte wohl u. s. w."*

Klotzius in hujus usus particulae explicatione non sibi prorsus constat. Primum enim dicit particulam δέ in interrogatione ita usurpari ut id, quod ei in interrogatione oppositum esse videatur, verbis declaratum non sit vel potius nulla omnino exspectetur oppositio. Deinde autem in interrogatione tamen aliquid poni, quod sit diversum ab eo quod antea sit dictum ideoque particulae δέ veram vim (sc. asseverandi) facile agnosci posse affirmat; particula enim in interrogatione verba sequentia cum antecedentibus non simpliciter conjungi, sed illud, quod potissimum scire velit is, qui interroget, urgeri. Id autem mihi placet. At Klotzio omnis oppositio vel diversitas in explicatione sua erat removenda atque omittenda.

Eam autem significationem affirmativam si ad omnes, qui huc pertinent, locos referemus omnia apte et bene procedere videbimus. Respiciamus exempla:

Antig. 20: postquam Antigona dixit

ᾔδη καλῶς, καί σ' ἐκτὸς αὐλείων πυλῶν
τοῦδ' οὕνεκ' ἐξέπεμπον, ὡς μόνη κλύοις.

interrogat Ismene:

Τί δ' ἔστι; δηλοῖς γάρ τι καλχαίνουσ' ἔπος.

Hoc in versu de oppositione cogitari non posse inde apparet, quod verbis Ismenae istud ipsum, quod dixit Antigona, maxime respicitur; sine dubio eo quoque loco particula δέ significatione nativa est posita atque pronomini interrogativo vim praebet graviorem.

Cujus generis exempla, cum sint in Sophoclis tragoediis permulta, omnia enumerare longum atque supervacaneum est. Quare praeter ea, quae modo attuli, jam pauca hoc loco afferantur:

Electr. 612

Χόρος.

ὁρῶ μένος πνέουσαν· εἰ δὲ σὺν δίκῃ
ξύνεστι, τοῦδε φροντίδ᾽ οὐκέτ᾽ εἰσορῶ.

Κλυταιμνήστρα.

ποίας δέ μοι δεῖ πρός γε τήνδε φροντίδος

Oed. Col. 579

ποῖον δὲ κέρδος ἀξιοῖς ἥκειν φέρων;

Electr. 405

ποῖ δ᾽ ἐμπορεύῃ; τῷ φέρεις τάδ᾽ ἔμπυρα;

Ajac. 740

τί δ᾽ ἐστὶ χρείας τῆσδ᾽ ὑπεσπανισμένον;

Deinde particula δέ etiam in responsione saepenumero ita in initio orationis posita est, ut nihil, quo illa respiciat, in oratione ejus, qui loquitur, indicatum sit. Hermannus in Oed. Tyr. 379 dicit particulam δέ in responsione aut ad verba alterius aut ad omissam responsionem esse referendam. Verba loci ab Hermanno allati sunt haec:

Οἰδίπους.

Κρέοντος, ἢ σοῦ ταῦτα τἀξευρήματα;

Τειρεσίας.

Κρέων δέ σοι πῆμ᾽ οὐδέν, ἀλλ᾽ αὐτὸς σὺ σοί.

Eo igitur in versu verba ταῦτα τὰ ἐξευρήματά ἐστί μου vel similia mente intellegi vult. Hanc autem explicationem esse nimis impeditam nemo negabit. Hartungius in responsione quoque, sicuti in interrogatione, particulae δέ significationem orationis continuandae adscribit. At si illum locum nostra lingua: „*Sind dies Kreon's oder Deine Erfindungen? T. Und Kreon u. s. w.*“ vertimus sententiarum nexum male procedere vix ulla in-

diget mentione. Klotzius his quoque locis facere non potest, quin particulae δέ notionem opponendi tribuat. Quam significationem hoc loco esse rejiciendam inde satis apparet, quod nihil prorsus, cui verba Tiresiae opponantur, reperiri potest. Immo vero in dubitationem vocari nequit, quin hoc loco particula δέ significatione affirmativa nomen proprium Κρέων cum vi efferat atque gravius urgeat *(Kreon in der That* vel *Kreon fürwahr)* ut omni ex parte Creontem Oedipo injuriam aliquam intulisse negetur. Eadem vi ac potestate particula δέ etiam in iis locis, in quibus interrogatio aperte non exstat, addita est; quemadmodum Oed. Col. 1443

Ἀντιγόνη.
δυστάλαινά τἄρ' ἐγώ,
εἴ σου στερηθῶ

Πολυνείκης.
ταῦτα δ'ἐν τῷ δαίμονι

Cetera exempla ejusmodi, quae in Sophoclis tragoediis reperi, sunt haec:

Ajac. 951

Τεκμήσσα.
οὐκ ἂν τάδ' ἔστη τῇδε, μὴ θεῶν μέτα.

Χόρος.
ἄγαν δ'[8]) ὑπερβριθὲς ἄχθος ἤνυσαν.

---

[8]) Particulam δέ, quae in codice optimo legitur, omittunt Venetus et Augustani ac Scholia Romana; pro δέ est γε in Mosc. b. Dresd. b. Jen. aliisque; quam lectionem plurimi editores, cum quemadmodum hoc loco particula δέ esset explicanda non intellegerent, receperunt. Sed ut illa verba facilius intellegantur, sententiarum nexus paucis exponendus mihi videtur esse. Tecmessa et chorus in iis, quae antecedunt, Ajacis, qui modo ipse sese interfecerat, sortem infelicissimam lamentantur. Choro, qui omnium

Electr. 934

'Ηλέκτρα.

οἶμαι μάλιστ' ἔγωγε τοῦ τεθνηκότος
μνημεῖ' 'Ορέστου ταῦτα προσθεῖναι τινά.

Χρυσόθεμις.

ὦ δυστυχής· ἐγὼ δὲ σὺν χαρᾷ λόγους
τοιούσδ' ἔχουσ' ἔσπευδον.

Oed. Col. 395

'Ισμήνη.

νῦν γὰρ θεοί σ' ὀρθοῦσι, πρόσθε δ' ὤλλυσαν.

Οἰδίπους.

γέροντα δ' ὀρθοῦν φλαῦρον ὅς νέος πέσῃ.

Trach. 729

Χόρος.

ἀλλ' ἀμφὶ τοῖς σφαλεῖσι μὴ 'ξ ἑκουσίας
ὀργὴ πέπειρα, τῆς σε τυγχάνειν πρέπει.

Δηιανείρα.

τοιαῦτα δ' ἂν λέξειεν οὐχ ὁ τοῦ κακοῦ
κοινωνός.

---

malorum auctores esse Atridas contendit, Tecmessa deorum voluntate illa sine dubio accidisse respondet. His autem Tecmessae verbis chorus adjungit: ἄγαν δ' ὑπερβριθὲς ἄχθος ἤνυσαν. Hermannus, qui pluribus de hoc versu disputavit, iis qui ἤνυσαν ad Atridas referant scribendum esse δέ putat; sed si ad deos spectet ἤνυσαν probandam esse particulam γε, quippe quae confirmandis iis, quae sint dicta, inserviat. At quamvis mihi quidem verbum ἤνυσαν nonnisi ad deos referri posse videatur, tamen particulam δέ hoc loco aptissime esse usurpatam contendo. Neque enim dubitari potest, quin hoc in versu particula δέ eam ipsam vim, quam Hermannus particulae γε tribuit, in se contineat. Namque particula δέ, sicuti saepenumero in responsionibus, significatione affirmativa ea, quae antecesserunt, concedit atque confirmat.

In duobus locis particula δέ non statim in responsionis initio sed nonnullis verbis praemissis est posita:

Oed. Col. 658

Οἰδίπους.

οὐκ οἶσθ' ἀπειλὰς

Θησεύς.

οἶδ' ἐγώ σε μή τινα
ἐνθένδ' ἀπάξοντ' ἄνδρα πρὸς βίαν ἐμοῦ
πολλαὶ δ' ἀπειλαί, πολλὰ δὴ μάτην ἔπη.

Antig. 685

Χόρος.

ἡμῖν μέν, εἰ μὴ τῷ χρόνῳ κεκλέμμεθα,
λέγειν φρονούντως ὧν λέγεις δοκεῖς πέρι.

Αἵμων.

πάτερ, θεοὶ φύουσιν ἀνθρώποις φρένας
πάντων ὅσ' ἐστὶ κτημάτων ὑπέρτατον,
ἐγὼ δ' ὅπως σὺ μὴ λέγεις ὀρθῶς τάδε . . . .

Ajac. 487

ὦ δέσποτ' Αἴας, τῆς ἀναγκαίας τύχης
οὐκ ἔστιν οὐδὲν μεῖζον ἀνθρώποις κακόν.
ἐγὼ δ' ἐλευθέρου μὲν ἐξέφυν πατρὸς,
νῦν δ' εἰμὶ δούλη.

Jam unum locum in Sophoclis tragoediis legi, ubi particula δέ iis verbis est addita, quibus is qui loquitur sibi ipsi respondet:

Ajac. 678

ἡμεῖς δὲ πῶς οὐ γνωσόμεσθα σωφρονεῖν;
ἐγὼ δ',[9]) ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ἔτι . . . . . .

Praeterea confer Ajac. 114, 592, 961; Electr. 891.

---

[9]) Plurimi interpretes, quoniam quid hoc loco particula δέ sibi vellet non intellegebant, illam esse corruptam suspicati sunt.

Jam transeamus ad usum particulae δέ post vocativum et pronomina personalia. Hermannus in Electr. v. 147 de eo particulae usu nihil dicit nisi in iis locis, in quibus primum nomen deinde pronomen cum particula δέ sit positum, orationem esse vehementem atque commotam. Hartungius quoque eam dicendi rationem leviter tantum attigit atque in ejusmodi locis particulam δέ nostra lingua vertendam esse „*und*" contendit. Sed quid illud in iis locis sibi velit nemo est qui intellegat. Klotzius sicuti omnibus aliis in locis etiam hic particulam δέ cum adseveratione quadam sententiae, quam qui loquatur non aperte dixerit, esse oppositam statuit. Nec vero cuiquam, ut mihi quidem videtur, his in locis inesse oppositionem aliquam persuadebit. Videamus duo ejusmodi exempla, quae apud Sophoclem inveniuntur:

Quo factum est, ut alii aliam proponerent conjecturam. Brunckius pro ἐγώ δ' — ἔγωγ', Porsonus ἐγῷδ', Dindorfius ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως μαθὼν ὅτι scripsit. Erfurdtius, qui recte librorum lectionem retinet, illud ἐγώ δ' refert ad versum 684

ἀλλ' ἀμφὶ μὲν τούτοισιν εὖ σχήσει·

his verbis impleri putans orationem abruptam. Qua in re vehementer errat. Recte enim Hermannus dicit ea, quae de amicitia atque inimicitia in iis, quae sequntur, dicantur, non rationem continere, quare nihil amplius dicere de illa re velit Ajax, sed quare mentem suam mutaverit. Wunderus hoc loco particulas δὲ γαρ eadem ratione qua ἀλλὰ γὰρ esse positas contendit. Wunderum non recte secutus est Hermannus. Particula δέ enim hoc in versu habet notionem affirmativam et recte posita est in responsione, ut ea, quae interrogata sunt, vi confirmet graviore. Namque verba versus 678 responsionem continere ad verba versus antecedentis vix commemorandum est. Itaque illi versus ita fere sunt vertendi: „*Wie aber sollten wir nicht zur Einsicht kommen? Ich wahrhaftig, denn u. s. w.*" Eadem significatione Nauckius particulam videtur accepisse quum ad ἐγώ δ' intellegi velit verba γνώσομαι σωφρονεῖν.

Electr. 1388

παῖ, σὺ δὲ πατρός γ' ὅσον ἰσχύεις

et ejusdem fabulae v. 150

Ἰὼ παντλάμων Νιόβα, σέ δ' ἔγωγε νέμω θεὸν

ἅ τ' ἐν τάφῳ πετραίῳ

αἰαῖ δακρύεις.

Quodsi primariam vim particulae tenemus, eos locos vix ullam nobis praebere difficultatem concedendum est. Illis enim in versibus pronomen, postquam nomen ipsum antecessit, ceteris rebus jam posthabitis vim graviorem particula δέ accipit. — Recte Bernhardyus[10]) scriptores orationis solutae rarissime et oratores quidem numquam particula δέ ita usos esse monuit; mirum autem sane est, quod etiam comici ea dicendi ratione abstinuerunt. —

Tum particulam δέ haud raro in repetitione ejusdem verbi vel notionis usurpatam invenimus. Vix jam Hartungii et Klotzii explicationes, quippe quae in eo quoque usu eaedem fere sint, quas jam supra rejeci, afferre opus esse videatur. In iis enim potissimum locis, qui huc sunt referendi, particulae δέ inesse significationem affirmativam maxime manifestum est Quam ob causam statim exempla ipsa contemplemur; luculentissimum autem exemplum nobis praebet

Philoct. 633

ἀλλ' ἔστ' ἐκείνῳ πάντα λεκτά, πάντα δὲ

τολμητά.

Ea verba neque simpliciter, ut Hartungius vult, inter se conjungi neque, quemadmodum Klotzio videtur, inter

[10]) Bernhardy, Wissensch. Syntax p. 73.

se opponi sed potius gradationem quandam continere apparet. Particula δέ enim hoc in versu vim verbi bis positi πάντα sine dubio valde intendit. Quare aptissime illa verba vertuntur: „*Alles bringt er über sich auszusprechen, alles fürwahr* vel *Alles auch zu wagen*", ita ut, quod jam antea indicavi, verba πάντα δὲ τολμητὰ gradationem quandam efficiant verborum antecedentium πάντα λεκτά et particulae potestas primaria aperte agnoscatur. Neque minus cetera exempla particulam δέ alia significatione accipi non posse demonstrant.

Ajac. 835

καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε παρθένους
ἀεὶ δ' ὁρώσας πάντα τὰν βροτοῖς πάθη

ib. 1050

δοκοῦντ' ἐμοί, δοκοῦντα δ', ὃς κραίνει στρατοῦ

ib. 1100

ποῦ σὺ σρατηγεῖς τοῦδε; ποῦ δὲ σοὶ λεῶν
ἔξεστ' ἀνάσσειν ὧν ὅδ' ἡγεῖτ' οἴκοθεν;

ib. 350

ἰώ
φίλοι ναυβάται, μόνοι ἐμῶν φίλων
μόνοι δ'[11]) ἐμμένοντες ὀρθῷ νόμῳ —

---

[11]) Omnes codices consentiunt in hac lectione:
μόνοι τ' ἐμμένοντες ὀρθῷ νόμῳ
Quo loco interpretes in particula τε offenderunt. Et optimo quidem jure. Namque hoc quoque loco, ut in ejusdem fabulae v. 372, loquendi consuetudine atque usu neglecto duae propositiones, in quibus idem verbum bis est positum, particula τε conjunctae sunt. Mirum sane est, hunc versum etiam Elmslejum, qui saepe monuit, ubi idem verbum repetatur, non τε sed δέ usurpari, effugisse. Hermannus pro τ' conjecit ἔτ'; quam conjecturam Dindorfius aliique receperunt. Atque profecto magna probabilitatis species illi a sententiae ratione ipsa accedit. Attamen cum in ejus-

ib. 372

ἰὼ πάνθ᾽ ὁρῶν, ἁπάντων δ᾽[12]) ἀεὶ
κακῶν ὄργανον, τέκνον Λαρτίου

Electr. 105

ἔστ᾽ ἂν λεύσσω παμφεγγεῖς
ῥιπὰς, λεύσσω δὲ[13]) τόδ᾽ ἦμαρ

---

modi locis particula δέ sit usitatissima atque frequentissima, hoc quoque loco pro τε — δέ scribendum esse contendo. Etenim causae ab Hermanno allatae, cur hoc quidem loco particula δέ poni non possit, facile refelluntur. Hermannus enim existimat, causam ob quam usurpetur δέ non inesse in verbi ejusdem iteratione sed in iis, quae illi verbo adjiciantur; neque idem a se ipso distingui sibique opponi posse sed illa, quae in eo quod duarum orationis partium commune est diversa reperiantur, opponi atque distingui. Nimirum si cum Hermanno in omnibus ejusmodi locis oppositionem aliquam desideramus, particulam δέ esse rejiciendam concedamus necesse est. Sed satis superque particulam δὲ nequaquam omnibus in locis notionem oppositionis in se continere demonstrasse atque illustrasse mihi videor. Itaque Hermanni opinionem esse falsam et hoc quoque loco particulam τε mutandum esse in δέ nemo negabit.

[12]) Interpretes non injuria in librorum lectione

ἰὼ πάνθ᾽ ὁρῶν, ἁπάντων τ᾽ ἀεί

offenderunt; nam particula τε hoc quidem loco vix ferri potest. Jam Elmslejus aut ἰὼ πᾶν θ᾽ ὁρῶν, ἁπάντων τ᾽ ἀεὶ aut ἰὼ πάνθ᾽ ὁρῶν, ἁπάντων δ᾽ἀεί scribendum esse putabat. Mihi quidem, praesertim cum singulare πᾶν displiceat, particula τε in δέ mutanda videtur esse, ut hoc quoque loco particula δέ in iteratione ejusdem notionis sit usurpata.

[13]) Omnes codices et Suidas habent:

ἔστ᾽ ἂν λεύσσω παμφεγγεῖς ἄστρων
(ῥιπάς, λεύσσω δὲ τόδ᾽ ἦμαρ)

Eum autem versum, qui est in antistropha, si comparamus cum eo, qui illi in stropha respondet, metri vitium nos non fugit. Ille (v. 88) est πολλὰς μὲν θρήνων ᾠδάς· Versus igitur antistrophae duabus syllabis est longior quam versus strophae. Quod vitium Hermannus, quem omnes fere editores sunt secuti, deleto priore λεύσσω correxit. Eam autem mutationem si probamus aut quo-

ib. 1171

θνητοῦ πέφυκας πατρός, Ἠλέκτρα, φρόνει,
θνητὸς δ' Ὀρέστης·

ib. v. 1447

ὡς μάλιστά σοι μέλειν
οἶμαι, μάλιστα δ' ἂν κατειδυῖαν φράσαι.

Oed. Tyr. 133

ἐπαξίως γὰρ Φοῖβος, ἀξίως δὲ σύ
πρὸ τοῦ θανόντος τήνδ' ἔθεσθ' ἐπιστροφήν·

Ejusdem fabulae 220, 741, 1224, 1305;
Oed. Col. 1077, 1345, 1400;
Antig. 809, 1311;
Trach. 311, 505;
Philoct. 451, 827;

In iis exemplis, quae adhuc attuli, particula δέ eodem verbo bis posito addita est alteri; sed etiam quoties eadem notio ter vel saepius est posita particula bis vel saepius eadem significatione affirmativa repetitur: veluti Oed. Col. 1391

καὶ καλῶ τὸ Ταρτάρου
στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος, ὥς σ' ἀποικίσῃ
καλῶ δὲ τάσδε δαίμονας, καλῶ δ' Ἄρη

nam ex verbo sit aptus accusativus παμφεγγεῖς ῥιπὰς aut si ex iis, quae sequuntur, verbum λεύσσω intellegitur quemadmodum particula δέ post λεύσσω sit explicanda nullo modo intellegi potest. Quam ob causam mihi quidem hoc in versu non verbum λεύσσω sed potius genetivus ἄστρων ejiciendus videtur esse. Primum enim particula δέ tum rectissime est posita in repetitione verbi λεύσσω; deinde nihil facilius fieri poterat quam ut genetivus ἄστρων ad verba παμφεγγεῖς ῥιπὰς accuratius definienda in margine ab aliquo adderetur paullatimque in textum succederet.

vel Electr. 268

ὅταν θρόνοις Αἴγισθον ἐνθακοῦντ' ἴδω
τοῖσιν πατρῴοις, εἰσίδω δ' ἐσθήματα
φοροῦντ' ἐκείνῳ ταὐτά, καὶ παρεστίους
σπένδοντα λοιβάς, ἔνθ' ἐκεῖνον ὤλεσεν,
ἴδω δὲ τούτων τὴν τελευταίαν ὕβριν.

Oed. Tyr. 312; Oed. Col. 1391; Trach. 516.

Ad eam dicendi rationem, qua particula δέ in repetitione ejusdem verbi vel notionis usurpatur, proxime accedit usus particulae post parenthesin. Cujusmodi exempla in Sophoclis tragoediis legi quattuor, Electr. 783

νῦν δ' — ἡμέρᾳ γὰρ τῇδ' ἀπήλλαγμαι φόβου
πρὸς τῆσδ' ἐκείνου θ'. ἥδε γὰρ μείρων βλάβη
ξύνοικος ἦν μοι, τοὐμὸν ἐκπίνουσ' ἀεί
ψυχῆς ἄκρατον αἷμα — νῦν δ' ἕκηλά που
τῶν τῆσδ' ἀπειλῶν οὕνεχ' ἡμερεύσομεν.

Trach. 252

κατείχεθ', ὥς φης' αὐτός, οὐκ ἐλεύθερος
ἀλλ' ἐμπολήθεις — τοῦ λόγου δ'οὐ χρὴ φθόνον
γύναι, προσεῖναι, Ζεὺς ὅταν πράκτωρ φανῇ —
κεῖνος δὲ πραθεὶς κτέ.

Oed. Tyr. 258

νῦν δ' — ἐπεὶ κυρῶ τ' ἐγώ
ἔχων μὲν ἀρχάς, ἃς ἐκεῖνος εἶχε πρίν,
— — — — — — — — — — — — —
νῦν δ' ἐς τὸ κείνου κρᾶτ' ἐνήλαθ' ἡ τύχη·

Antig. 1196

ἐγώ — φίλη δέσποινα, καὶ παρὼν ἐρῶ
κοὐδὲν παρήσω τῆς ἀληθείας ἔπος·
— — — — — — — — — — — — — —
ἐγὼ δὲ σῷ ποδαγὸς ἑσπόμην πόσει·

(Particulam δέ enim in hoc quarto exemplo nonnisi parenthesi posita intellegi posse arbitror). — De hoc particulae usu Buttmannus quoque in illo excursu, quem jam saepius commemoravi, disseruit atque particulam δέ post parenthesin esse dicit meram repetitionem ejus δέ, quod antea sid positum. Ita in illis locis oppositionem, quae priori δέ sit indicata, posteriori δέ redintegrari. Quam Buttmanni explicationem secuti sunt omnes fere alii.[14]) At si eam explicationem tenemus, jam quaeritur, quemadmodum ii loci sint explicandi, in quibus ante parenthesin particula δέ non est praemissa. Eam quaestionem Buttmannus non attigit. Hartungius autem in ejusmodi locis aut parenthesin ipsam aut verba praegressa aliquid, cui particula δέ sit opposita, continere necesse esse dicit. In iis autem locis, in quibus nihil sane sit indicatum, quo particula δέ post parenthesin posita possit referri, illam in formam ampliorem δή mutandum esse contendit. Klotzius etiam ibi, ubi nihil, quo particula respiciat, sit significatum, illam poni posse arbitratur. Hanc autem sententiam esse vix probabilem quisque concedat necesse est. At omnes eae difficultates, quae talibus in locis etiam mutationem lectionis sanae insolentem atque temerariam effecerunt, amoventur, dummodo particula notione propria accipiatur. Neque enim dubitari potest, quin particula δέ post parenthesin sententiam, quae compluribus verbis interjectis est abrupta, resumat atque confirmet; neque quidquam interest, utrum verba sequentia opponantur praegressis necne, ut aptissime illam vertamus *„sag' ich“* vel *„also“*, quam

---

[14]) Hermann. ad Viger. p. 847 (edit. III).
Hartung, Lehre v. d. Part. d. gr. Spr. 173.

significationem nunquam nanciscimur, si notionem particulae adversativam solam retinemus. Eam ipsam autem explicationem optime illis locis, quos supra attuli, convenire evidenter elucet.

Denique multi sane loci in Sophoclis tragoediis inveniuntur, in quibus duae propositiones particulis μέν et δέ sine ulla oppositione conjunctae sunt. Priusquam autem ad eos locos ipsos explicandos aggrediar, de particula μέν pauca verba facienda mihi esse videntur. Particula μέν quoque, sicuti δέ, si primariam quidem vim ejus respicimus, proprie est adverbium affirmativum, quod aliquam rem vel sententiam graviori ratione confirmat. Voculam μέν enim ortam esse ex ampliore forma μήν cum ex verbo μέντοι (μέν - τοί) tum ex usitatissima dicendi ratione πάνυ μέν οὖν satis apparet. Qua de causa Graeci aptissime particula μέν ita usi sunt, ut plerumque cum particula δέ, quae illi, si ad ejus originem spectamus, est simillima, conjungerent. Itaque quotiescumque conjunctio particularum μέν et δέ videtur adhibita esse ad duas propositiones inter se opponendas, neutiquam putandum est, illam oppositionem particulas μέν et δέ per se ipsas indicare, sed potius duae propositiones, sive sententiarum ratione inter se opponuntur sive exaequantur, illis particulis additis magis confirmantur. Quae cum ita sint, vix quidquam in iis locis, qui huc sunt referendi, poterit obscurum esse. Talis locus invenitur Oed. Tyr. 260

ἔχων μὲν ἀρχάς, ἃς ἐκεῖνος εἶχε πρίν,
ἔχων δὲ λέκτρα καὶ γυναῖχ' ὁμόσπορον.

His in versibus verba ἔχων δὲ λέκτρα non opponi verbis ἔχων μὲν ἀρχάς, sed potius particulis μέν et δέ illa duo membra inter se comparari vel exaequari omnes intellegent. Nec vero dubitari potest, quin hoc loco membrum posterius graviorem contineat gradationem quandam, ut vertendum sit: „*Jetzt aber, seitdem ich im Besitz der Herrschaft bin, im Besitz auch u. s. w.*‘ Simillima exempla leguntur Oed. Tyr. v. 220

ἐγὼ ξένος μὲν τοῦ λόγου τοῦδ' ἐξερῶ
ξένος δὲ τοῦ πραχθέντος

vel Oed. Col. 280

ἡγεῖσθε δὲ
βλέπειν μὲν αὐτοὺς πρὸς τὸν εὐσεβῆ βροτῶν
βλέπειν δὲ πρὸς τοὺς δυσσεβεῖς.

Cujus generis locos, quorum numerus in Sophoclis tragoediis haud exiguus est, omnes enumerare supervacaneum est; quare jam pauci tantum hoc loco indicentur: Oed. Tyr. 522; Antig. 899; 1070; Trach. 162, 239 263, 790.

VITA.

Natus sum Carolus Robertus Linke d. XXIX. mens. Sext. anni 1849 in Saxoniae provinciae urbe, quae vocatur Osterfeld, patre Louis matre Carolina e gente Baudert, quos ambo adhuc esse superstites magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus in gymnasio Zizensi et testimonio maturitatis instructus tempore paschali anni 1870 me contuli Lipsiam, ubi per tria semestria philologiae studiosis adscriptus audivi Ritschl, Curtius, Zarncke, Lange, Nobbe, Drobisch, Voigt, Fricke. Deinde per ter sex menses Halis Bernhardyi, Keilii, Zacheri, Duemmleri, Haymii, Ulricii scholis interfui. Per bis sex menses Keilii benevolentia societatis philologicae sodalis fui. Per tria semestria etiam seminarii regii Halensis exercitationibus, quas Bernhardyus et Keilius moderabantur, interfui. Quibus Viris Illustrissimis pariter atque omnibus praeceptoribus meis semper piam gratamque memoriam servabo.

THESES.

I.

Inducenda sunt in gymnasia studia veteris linguae germanicae.

II.

Quintum Olympiorum carmen a Pindaro non est compositum.

III.

In Soph. Antig. v. 235 librorum lectio

σοὶ κεἰ τὸ μηδὲν ἐξερῶ φράσω δ' ὅμως

non est sollicitanda.

IV.

In Soph. Elect. v. 105

ἔστ' ἂν λεύσσω παμφεγγεῖς
ῥιπάς, λεύσσω δὲ κτἕ

scribendum esse contendo.